



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 39. Fœderati mutata itineris ratione a Rege decepti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](#)

Saxul. XV.  
A. C. 1495.

## §. XXXIX.

*Fæderati mutata itineris ratione a  
Rege decepti.*

*Comm.lib. 8. cap. 4.* Jamjam Fœderati cōpias suas contra-  
hunt, Regem transitu interclusuri ;  
hi enim firmiter sibi persuasum habebant,  
Carolū consensu classe, quæ Liburnii ad-  
ventantem præstolabatur, Tolonium inde  
petitum, ibique superato Cencruccio  
Monte per Tari vallem Tortonensem per-  
tingere tentaturum. Unde orationis stu-  
dia eo vertebantur, ut Regi utrumque  
aditum occluderent : attamen alia via  
Carolo supērerat, nimirum cervæ - fau-  
ces, quas Itali suo idiomate *Il Salto del-  
la Cerva*, seu saltum cervæ appellant.  
Is erat locus adeo transitu difficilis, ut  
illum adversus copiosissimum exercitum  
quinquaginta milites facile tueri potui-  
sent, proin si hostis transversam rhedam  
ad faucium accessus opposuisset, ut scri-  
bit Comminæus, ac duo belli tormenta  
admovisset, totum Gallorum exercitum  
transitu exclusisset. Accessisset etiam  
ipsa loci opportunitas ; una enim ex par-  
te primævo naturæ beneficio munieba-  
tur. Nihilominus fortuna factum, ut  
hisce faucibus præsidio destitutis, Gallis  
non jam cum hoste dimicandum esset,  
sed eis nonnisi feras in fugam agere in-  
cum-

cumberet. Certe nullam tantæ incuriae excusationem obtendere poterant Mantuae Marchio, & Comes Cajatsius, quorum prior Venetorum, alter vero Mediolanensium copiis præerat: igitur Galli superato hoc transitu, nullo negotio Pontem-tremulum, quod oppidum Ludovico Sfortiæ parebat, occuparunt, ac demum Apennini juga nullo obſistente transcenderunt.

Sæcul. XV.  
A.C. 1495.

§. XL.

*Genuæ expugnatio a Gallis prætermissa.*

Interea Cardinalis S. Petri ad vincula, *Comm. lib. 8.*  
cum ob implacabile, quo eum Ponti-*pag. 93. c. 4.*  
fex insectabatur, odium haud tutam in  
Italia Sedem haberet, Genuæ stabile do-  
mīcīlīū figere peroptabat, spe fretus,  
Papam ibi cum illo hostiliter agere non  
ausurum. Quapropter Carolo Galliarum  
Regi proposuit, quod Genuenses, popu-  
lares suos, concitare vellet ad seditionem  
contra Mediolani Ducem, qui tum huic  
Reipublicæ imperabat. In hanc quoque  
sententiam haud ægre descendebant ab  
hac ditione proscripti, qui Gallorum stu-  
diis addicti, factionis suæ Principes co-  
lebant Cardinalem Fregosum, & Obje-  
ctum de Fliscis; verum ad persuaden-  
da Genuensibus hæc consilia validi exer-  
citūs